



Accessions

153.430

Shelf No.

G.4072.6

*Barton Library.*



*Thomas Pennant Barton.*

**Boston Public Library.**

*Received, May, 1873.*

*Not to be taken from the Library.*







Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/narratioeorumqua00wels>









NARRATIO  
EORVM QVAE  
CONTIGERVNT  
APOLLONIO TYRIO.

*Ex membranis vetustis.*



AUGUSTÆ VINDELICORVM  
*ad insigne pinus.*

---

ANNO M. D. XCV.

153,430

May 1873

# EDITORIS CEN-

S V R A.



*S*iquis aurum paratus & gemmas ex stercore legere, is demum aptus huic libello continget lector: quem nos, alia occasione excussis armarijs bibliothecæ SS. Udalrici & Afræ (celebre hic Augustæ cœnobium est) forte quadam inuenimus, & Apollonij alleæti nomine cum auidè cœpissimus euoluere, statim à principio apparuit quod veteri verbo dicunt, Carbores thesaurus erant. Multâ in ipsa fabula absurdè excogitata, multa in sermone barbarè posita, quæ tamen quibusdam melioris interdum notæ stellulis distincta, & antiqui moris ritusq; vestigijs nonnullis interspersa: tantis sanè visa, ut ne intercederent, editionis placuerit consilium.

De auctore vix hoc solum afferimus, græcè scripsisse, nam id multis se aperit indicijs, uno maximè, quod Latinus interpretres aliqua prioris sermonis verba retinuit, tribunarium pro veste sordidâ quæ Græcis τριβων est, sabanum pro balneari linteo, apodixin pro specimine, aporiatum pro turbato dixit. Græcum exemplar Byzantijs adhuc superesse existimo, quæ enim in Constantinopolitanâ bibliothecâ inter Manuelis Eugenici libros memoratur, Historia Apollonij sapientissimi & fortissimi viri, cum figuris, huius profecto Apollonij credenda est, cuius hic toties sapientia prædicatur: Sed & in catalogo Cæsareæ Viennensis bibliothecæ, Apollonij de Tyro historiam reperio. Figuris nosler quoque codex ornatus erat, omninò Græcissantibus, ceterum oppidò ineptis.

*Interpretem Christianum fuisse scias, qui Dei nomine nunquam plurium numero utatur, & quodam loco Apollonium ab angelo in somnis monitum narret.*

*Stylus uti dixi plerumque barbarus, sed si quid iudico, ne-  
tquam nouitius, quin morienti propemodum rei Romanæ syn-  
chronus, plures namq; eius aui formulas eruditus lector me ta-  
cente obseruabit.*

*Quædam inter describendum obiter mutauimus, Volente  
nimirum sententiâ, & Veteri lectione ad oram notatâ, quan-  
tumuis ferè apertè falsa, ne cui de nostra tamen fide querendi re-  
linqueremus locum, quam lectori ubique probatam cupimus.*

NAR-

# NARRATIO EORUM QUÆ CONTINGERVNT

APOLLONIO TYRIO.

**I**N ciuitate Antiochia fuit quidam rex Antiochus, à quo ipsa ciuitas Antiochia nomen accepit. Hic accepit ex amissa coniuge filiam virginem speciosissimam, in qua nihil rerum natura errauerat nisi quod mortalem statuerat. Quæ cum ad nubilem peruenisset ætatem, & species pulchritudinis accresceret, multi eam in matrimonium rogabant, cum magnâ & inæstimabili dotis quantitate. Sed cum pater deliberaret cui potentissimo filiam suam daret in matrimonium, nescio quâ iniquâ concupiscentia, crudelitatisq; flamma, in amorem filia suæ incidit, & cœpit eam amplius diligere quam patrem oporteret. Qui dum luctatur cum furore, pugnat cum pudore, vincitur amore. Excidit illi pietas, & oblitus se esse patrem, induit coniugem. Sed cum sæui pectoris sui vulnus sufferre non posset, quadam die prima luce euigilans, irrupit cubiculum filia suæ, & omnes longè secedere iussit, quasi cum filia sua secretum colloquium habiturus. Stimulante furore libidinis, diu repugnantia filia suæ nodum virginitatis  
\*rupit, perfectôq; scelere euasit cubiculum. Sic scelesti patris impietatem puella mirata, cœpit celare, sed in pauimento coitus signa videntur, ubi guttæ sanguinis

*\*erupit.*

ceciderunt. Cumq; puella quid faceret cogitaret, nutritrix subitò introiuit ad eam. Quam ut vidit flebili vultu, pauimentumq; roseo rubore perfusum, ait, Quid tibi vultus turbatus vel animus tuus? Puella ait, chara nutritrix, modo hîc in cubiculo duo nobilia nomina perierunt. Nutritrix ait ignorans, Domina quare hoc dicis? Puella ait, Quia ante legitimum nuptiarum meorum diem sæuo scelere violata sum. Nutritrix hoc cum audisset atque vidisset, inhorruit & ait, Et quis fretus tanta audacia virginis thorum & reginæ ausus est violare? Puella ait, impietas fecit hoc scelus. Nutritrix ait, Cur fidas & non indicas patri? Puella ait, Et ubi est pater? Si intelligis, perijt nomen patris in me. Itaque ne hoc scelus genitoris mei gentibus pateat, mortis mihi remedium placet. Nutritrix ut audiuit eam mortis remedium querere, blando eam sermonis colloquio reuocauit, ut à proposito suo recederet, & inuita patris sui voluntati satisfaceret cohortatur.

Inter hæc impijssimus pater, cum simulata mente ostenderet se ciuibus pium genitorem, intra domesticos parietes maritum se filiæ lætatur. Et ut semper impius filiæ thoris frueretur, ad expellendos petitores nouum genus nequitix excogitauit. Quæstiones verò proponebat dicens, Si quis quæstionis meæ nodum vel solutionem inuenerit, filiam meam in matrimonium accipiet, alioquin decollabitur. Plurimi undique reges & principes patriæ, propter incredibilem & inauditam puellæ speciem, contempta morte properabant. Et si quis forte prudentia litterarum quæstionis solu-

solutionem inuenisset, quasi nihil dixisset decollabatur, & caput eius ad fastigia portæ suspendebatur, ut aduenientes imaginem viderent mortis, & conturbarentur ne ad talem conditionem venirent. Et cum tales crudelitates exerceret Antiochus, interposito breui temporis spatio, adolescens quidam Tyrius patriæ suæ princeps, locuples valde, Apollonius nomine, fidens abundantia litterarum, nauigans attingit Antiochiam, ingressusq; ait, Aue rex. Et rex ut vidit quod videre nolebat, ad iuuenem ait, Salui sunt nupture parentes tui? Iuuenis ait, Vltimum signauerunt diem, & addidit, Regio genere ortus filiam tuam in matrimonium peto. Rex ut audiuit quæ audire nolebat, respiciens ad iuuenem ait, Nosti nuptiarum conditionem? Iuuenis ait, noui, & ad portam vidi. Indignatus rex ait, audi ergo quæstionem; Scelere vehor, materna carne vescor, quæro fratrem meum, matris meæ virum, nec inuenio. Puer accepta quæstione paullulum secessit, & cum docto pectore quæreret, luctatur cum sapientia. Dumq; scrutatur scientiam, Deo fauente inuenit quæstionis solutionem, & reuersus ad regem ait, Bone rex proposuisti quæstionem, audi ergo solutionem, Nam quod dixisti scelere vehor, non es mentitus, te ipsum intuere, materna carne vescor, filiam tuam respice. Rex ut audiuit quæstionis solutionem iuuenem soluisse, timens ne scelus suum patefieret, irato eum vultu respiciens ait, Longè es iuuenis à quæstione, erras, nihil veri dicis, decollari quidem promerueras, sed ecce habebis xxx. dierum spatium, recogita tecum, re-

uersus

uerfus dum fueris & quæstionis solutionem inueneris, accipies filiam meam in matrimonium, sin aliàs, legem agnosces. Iuuenis conturbatus, accepto commeatu nauim ascendit, tendens in patriam Tyrum. Sed post discessum adolescentis, vocauit rex dispensatorem suum Thaliarchum nomine, cui ait, Thaliarche secretorum meorum minister fidissime, scias quia Tyrius Apollonius inuenit quæstionis meæ solutionem: ascende ergo confestim nauim ad persequendum iuuenem, & cum perueneris Tyrum, quære inimicum eius, qui cum ferro vel veneno interficiat, reuersus dum fueris, præmium magnum accipies. Thaliarchus statim sumens pecuniam, simulq; petijt naui innocentis patriam. Apollonius verò prior attigit patriam suam, introiuit in domum, apertoq; \* scrinio codicum suorum, inquisiuit omnium quæstiones auctorum, & philosophorum, & pæne omnium Chaldæorum. Cumq; nihil aliud inuenisset quam quod reperierat, ait ad semetipsum, Ni fallor Antiochus rex impio amore diligit filiam suam, & recogitans secum dixit, Quid agis Apolloni? quæstionem regis soluisti, filiam non accepisti, ideo \* dilatatus es ut neceris. Continuoq; iussit sibi naues præparari, & eas centum millibus modiorum frumenti onerari, & multo pondere auri & argenti, & veste copiosa, & cum paucis secum fidissimis hora noctis tertia nauim ascendit, tradiditq; se alto pelago. Alia verò die quæritur à ciuibus & non inuenitur, mœror ingens nascitur, quod amantiſſimus princeps patriæ nusquam comparuit, sonat per totam ciuitatem plan-

\* scrineo codicum suorum.

\* dilatatus es ut neceris.  
ut non neceris.

plan-



planctus. Tantus verò amor ciuium circa eum erat, ut multo tempore tonfores cessarent, publica spectacula tollerentur, balnea clauderentur, non templa non tabernas quisquam \*ingrederetur.

\* *ingreditur.*

Et cum hæc Tyro agerentur, superuenit Thaliarchus, qui à rege ad necandum eum missus fuerat: & videns omnia clausa, dixit cuidam puero, Indica mihi si viuas, ex quâ caussa hæc ciuitas in luctu moratur. Puer ait, ô hominem improbum, scis né & interrogas? Ideo ciuitas hæc in luctu moratur, quia Apollonius princeps patriæ huius ab Antiocho rege regressus nusquam comparuit. Tunc Thaliarchus hoc ut audiuit, gaudio plenus redit ad nauim, & certâ nauigationis die attingit Antiochiam, ingressusq; ad regem ait, Domine rex lætare, quia Apollonius timens regni tui vires, subito nusquam comparuit. Rex ait, fugere quidem potest, sed effugere non potest, continuoq; huiusmodi edictum proposuit, Quicumque \*Tyrium mihi Apollonium, regni mei inimicum & contemptorem, viuum exhibuerit, accipiet quinquaginta talenta auri, qui verò caput, centum accipiet. Hoc edicto proposito, non tantum inimici, sed etiam amici, cupiditate seducti, ad persequendum iuuenem properabant. Quærebatur verò Apollonius per mare, per terras, per sylvas, per uniuersas indagines, & non inueniebatur. Tunc rex iussit sibi classes nauium præparari ad persequendum iuuenem. Sed moram facientibus qui classes nauium præparabant; Apollonius Tarsum deuenit, & deambulans iuxta littus, visus est à quodam ciue suo Hella-

\* *Tyrium Apollonium, sic deinceps.*

nico nomine, qui superuenerat in ipsa hora, & accedens ad eum ait, Aue rex Apolloni. Ille salutat, fecit ut potentes facere consueuerunt, spreuit hominem plebeum. Tunc senex indignatus est valde, & iterum salutauit eum, & ait, aue Apolloni, resaluta, & noli despiciere paupertatem honestis moribus decoratâ, si enim scis, cauendum est tibi, si verò nescis, moneo te, audi, forsitan quod nescis, quia proscriptus es. Cui Apollonius ait, Et quis patriæ suæ proscripsit principem? Hellanicus ait, Rex Antiochus. Apollonius ait, quâ ex causa? Hellanicus ait, Quia quod pater est, tu esse uoluisti. Apollonius ait, Et quanti me proscripsit? Hellanicus ait, Ut quicumque te illi uiuum exhibuerit quinquaginta talenta auri, qui verò caput pertulerit, centum \* accipiat, atq; ita moneo te fuge in præsidium. Hæc cum dixisset Hellanicus discessit. Tunc iussit Apollonius rogare senem & ad se venire, & centum talenta auri ei dari, & ait, Accipe exemplum paupertatis meæ quia meruisti, & puta te ut paullò ante dixisti, caput mihi à ceruicibus amputasse, & pertulisse gaudium regi, ecce habes centum talenta auri, & puras manus à sanguine innocentis. Cui senex ait, Domine absit à me ut huius rei causâ ego præmium accipiam : apud bonos homines præmio amicitia non est comparanda, & ualedicens discessit. Post hæc Apollonius cum spatia-  
tur in eodem loco supra littus, uidit hominem contra se uenientem dolentem & mæsto vultu, Strangulionem nomine. Is ut accessit ad eum, protinus ait Apollonius, Aue Strangulio, & ipse ait, Aue domine Apolloni,

loni,

\* accipiet.

loni, & rursus ait, Quid itaq; his in locis turbatâ mente versaris? Apollonius ait, proscriptum me vides \* ab Antiocho. Strangulio ait, quæ est causa? Apollonius ait, quia filiam eius, & ut verius dixerim coniugem, in matrimonium petiui. Itaque si fieri potest, in patriâ vestrâ volo latere. Strangulio ait, Domine Apolloni, ciuitas nostra pauperrima est, & non potest tuam nobilitatem sustinere: præterea duram famem, & sæuam sterilitatem patimur annonæ, nec etiam iam ciuibus ulla spes salutis, sed crudelissima mors est ante oculos nostros. Apollonius ait, agite gratias deo, qui me profugum vestris finibus applicuit. Dabo ciuitati vestræ centum millia frumenti modiorum, si fugam tantum celaueritis. Strangulio ut hæc audiuit, prostravit se ad pedes eius & ait, Domine Apolloni, si esurienti ciuitati subueneris, non solum fugam tuam celabimus, sed si necessitas fuerit pro tuâ salute dimicabimus. Ascendensq; Apollonius tribunal in foro, præsentibus cunctis ciuibus eiusdem ciuitatis dixit, Ciues Tarsenses, quos annonæ penuria turbat & opprimit, ego Tyrius Apollonius releuabo. Credo enim vos huius beneficij memores fugam meam celaturos, Scitote enim non me \* legibus Antiochi esse fugatum, sed vestra felicitate faciente huc sum delatus. Dabo itaque vobis centum millia frumenti modiorum, eo pretio quo sum in patria mercatus, octo æreis singulos modios. Audito hoc ciues Tarsenses quod singulos modios æreis octo mercarentur, hilares effecti sunt, ac gratias agentes statim frumenta portabant.

\* deest, ab Antiocho.

\* è legibus.

Tunc Apollonius, ne depositâ regiâ dignitate mercatoris magis quam donatoris nomen videretur assumere, pretium quod acceperat eiusdem ciuitatis utilitatibus redonauit. Ciues autem, ut tanta viderunt eius beneficia, bigam ei in foro statuerunt, in quâ stans dextrâ manu fruges daret, sinistro pede modium calcaret, & in base scripserunt, CIVITAS. \* TARSVS. TYRIO. APOLLONIO. DONVM. DEDIT. EO. QVOD. CIVITATEM. A. SÆVA. FAME. LIBERAVERIT.

\* Tharsia, sic  
& deinceps.

\* agerentur.

Deinde interpositis paucis diebus, hortante Strangulione & Dionysiade eius coniuge, ad Pentapolim Cyrenorum nauigare proposuit, ut illîc lateret, eo quod bene firma, cum opulentiâ & tranquillitate \* ageret. Igitur cum ingenti honore deducitur ad mare, & valedicens omnibus ascendit ratim. Sed tribus diebus noctibusq; totidem ventis prosperis nauigans, subito mutatum est pelagus postquam littus Tarsi reliquit. Nam paucis horis ventis concitatis, Aquilone vento Euroq; instante, clauso cœlo nimia \* pluua erupit Populus \* Tyri procellâ corripitur, ratis pariter dissoluitur, Zephyri fretum perturbant, grando ac nubes tenebrosa incumbebant, flant venti fortiter, ac crebris fulminibus micantibus pelagus intonat, fit mugitus ingens, & \* mortis timor cunctos occupat. Tunc unusquisque rapuit sibi tabulas mortem morantes. In illâ verò caligine tempestatis omnes perierunt. Apollonius verò unius tabulæ beneficio in Pentapolitanorum \* littora est pulsus. Stans autem in littore nudus, intuens mare tranquillum sic ait, ô pelagi fides! ô crudelitas

\* sepluua.

\* Tyria.

\* mors sedula.

\* littore.

tas Antiochi ! facilius incidam in manus crudelissimi regis quam patriam quæram. Quis notus huic ignoto auxilium dabit? Hæc dum loqueretur Apollonius, aspexit iuuenem venientem contra se quendam robustum piscatorem sordido fago coopertum. Cogente necessitate prostravit se ad eius pedes, profusisq; lacrymis ait, Miserere quicumque es, succurre nudo naufrago, non humilibus natalibus genito, & ut scias cui misereris, ego sum Tyrius Apollonius, patriæ meæ princeps. Audito nunc trophæo meæ calamitatis, \*aspice *\* deest aspice.* quomodo genibus tuis prouolutus deprecor auxilium vitæ. Piscator ut vidit speciem iuuenis, misericordiâ motus erigit illum, & duxit \*intra *\* infra.* tecta domus, posuit epulas quas habere potuit. Et ut plenius pietati suæ satisfaceret, exuens se tribunarium in duas partes diuisit, & unam dedit iuueni dicens, Tolle quod habeo, & vade in ciuitatem, ibi inuenies forsitan qui tui misereat: si non inueneris, huc ad me reuertere, paupertas quæcumque sufficiat nobis, piscemur simul. Illud tamen admoneo te, ut si quando dignitati tuæ redditus fueris, ne despicias tribunarij paupertatem.

Apollonius ait, si non memor tui fuero, iterum naufragium patiar, nec tui similem inueniam. Et hæc dicens, demonstratâ sibi viâ ille carpens iter, portas ciuitatis ingreditur. Dumq; cogitaret unde vitæ peteret auxilium, vidit per plateam puerum nudum currentem, oleo caput unctum, sabano præinctum, ferentem ludos iuueniles ad gymnasium pertinentes, voce magna clamantem & dicentem, Audite ciues, audite

peregrini, ingenui & serui, qui ablui vult, gymnasium patet. Audito hoc Apollonius, exuens se tribunarium ingreditur lauacrum, utitur liquore, & dum singulos intuetur, quærit parem nec inuenit. Et subito \*Alcistrates rex totius illius regionis, ingressus cum turba famulorum est. Cum rex ludum \*sphæræ cum seruis suis exerceret, admisit se Apollonius regi, & decurrentem sustulit sphæram, & subtili velocitate percussam ludenti regi remisit. Tunc rex suis famulis ait, Recedite, hic enim iuuenis ut suspicor mihi comparandus est. Apollonius ut audiuit se laudari, constanter accessit ad regem, & accepto ceromate cum docta manu circum lauit ei cum subtilitate, deinde in folio gratissimè fouit, & eo exeunte, ab officio discessit. Dixitq; rex ad amicos suos post discessum adolescentis, Iuro vobis per communem salutem, melius me nunquam abluisse quam hodie, beneficio adolescentis nescio cuius: & respiciens ad unum de famulis ait, Iuuenis ille qui mihi officium fecit, vide quis sit. At ille sequutus iuuenem vidit eum sordido tribunario indutum, reuersusq; ad regem ait, Iuuenis ille naufragus est. Rex ait, unde scis? famulus ait, Tacente illo habitus indicat causam. Rex ait, vade celerius & dic ei, rogat te rex ut venias ad cenā. Apollonius ut audiuit acquieuit, & deducente famulo peruenit ad regem. Famulus prior ingressus ad regem ait, Naufragus adest, sed propter sordidum habitum introire confunditur. Statimq; iussit cum rex vestibibus dignis indui, & ad cenam ingredi. Ingressus Apollonius triclinium regis, contra regem assigna-

assignato loco discubuit. Infertur prandium, deinde cena regalis. Apollonius cunctis epulantibus non epulatur, sed aurum & argentum in ministerio regis diu flens intuebatur. Tunc unus de discumbentibus ad regem ait, ni fallor iuuenis iste fortunæ tuæ inuidet. Rex ait, male suspicaris, nam meæ fortunæ non inuidet, sed plura perdidisse testatur. Et respiciens Apollonium hilari vultu ait, Iuuenis epulare nobiscum, & meliora de Deo spera.

Et dum hortaretur iuuenem, subito introiuit filia regis virgo iam adulta, deditq; osculum patri suo, deinde cunctis discumbentibus amicis. Quæ dum oscularetur singulos, reuerfa est ad patrem & ait, Bone rex & pater optimè, quis est iste iuuenis qui contra te locum honoratum tenet, & nescio quid flebili vultu dolet? Rex ait, Nam dulcis iuuenis iste naufragus est, & \*gymnastico mihi officio gratissimè fecit, propter \*gymnasia. quod ad cenam vocavi illum, quis aut unde sit nescio, sed si vis scire interroga eum, te decet omnia nosse, & forsitan dum cognoueris misereberis ei. Hortante verò patre puella venit ad iuuenem, & verecundo sermone ait, Licet taciturnitas tua sit tristior, generositas tamen nobilitatem ostendit, sed si molestum non est, indica mihi nomen & casus tuos. Apollonius ait, Si nomen quæris, in mari perdidit, si nobilitatem Tyro reliquit. Et ait puella, Apertius dic ut intelligam. Tunc Apollonius nomen suum & omnes casus exposuit, finitoq; sermonis colloquio fundere lacrymas cœpit. Quem ut vidit rex flentem, respiciens ad filiam suam

ait,

ait, Nata dulcis peccasti, dum vis nomen & casus adolescentis agnoscere, veteres eius dolores renouasti. Ergo dulcis filia quatenus agnouisti veritatem, iustum est ut liberalitatem quasi regina ostendas. Puella ut audiuit à patre ultrò promissâ quæ illi præstare volebat, respiciens ad iuuenem ait, Noster es Apolloni deponere mœrorem, & quia hoc indulgentia patris mei permittit, locupletaberis. Sic Apollonius cum gemitu ac verecundia gratias egit. Tunc rex ait filix suæ, defer lyram ut cantu exhilaras conuiuium. Puella iussit afferri sibi lyram, & cœpit cum omni dulcedine chordarum miscere sonum. Omnes laudare cœperunt & dicere, non potest melius, non potest dulcius. Inter quos solus Apollonius tacuit. Ad quem rex ait, Apolloni fœdam rem facis, omnes filiam meam in arte musica laudant, quare tu solus vituperas? Apollonius ait, Bone rex, si permittis dicam quod sentio, filia tua in artem musicam incessit, & nondum didicit. Igitur iube mihi tradi lyram, & statim scies quod nescisti. Et ait rex, Apolloni video te eruditum esse in omnibus. Et iussit illi tradi lyram, & egresso foras, coronâ capitis eum decorauit. Accipiensq; \*Apollonius lyram introiuit in triclinium, & ita stetit ut discumbentes cum rege non Apollonium sed Apollinem existimarent. Etenim discumbentes cum rege dixerunt quod nunquam melius audissent nec vidissent, & placuit homo regi & omnibus discumbentibus.

\* sibi.

\* deest Apollonius  
26146.

Inter hæc filia regis ut vidit iuuenem omnium artium studiorumq; esse cumulatum, incidit in amorem  
infini-



infinitum, & ait ad patrem suum, Chare genitor per-  
 miseras mihi paullò ante ut quidquid voluiffem de tuo  
 iuueni darem. Et ait rex, & permiffi & permitto. Puel-  
 la Apollonium respiciens ait, Magifter Apolloni acci-  
 pe ex indulgentiâ patris mei auri ducentas, argenti li-  
 bras cccc. vefteſm̄q; copioſam, feruos xx. ancillas x.  
 quibus ait, afferte quod promiffi, & præſentibus amicis  
 exponite in triclinio. Iuſſu reginæ illata ſunt omnia,  
 laudant omnes liberalitatem puellæ, peractoq; conui-  
 uio leuauerunt ſe omnes, & valedicentes regi & reginæ  
 diſceſſerunt. Apollonius ait, Bone rex miſerorum mi-  
 ſericors, & tu regina amatrix ſtudiorum, valete. Et re-  
 ſpiciens famulos quos ſibi regina donauerat, ait, At-  
 tollite hæc famuli quæ mihi donata ſunt, & eamus ho-  
 ſpitiū quæramus. Puella timens ne amatorem per-  
 deret, triftis eſt facta, & reſpiciens ad patrem ait, Bone  
 rex & pater optime, placet tibi ut Apollonius hodie di-  
 tatus abſcedat, & quod illi donauimus à malis homi-  
 nibus rapiatur? Tunc rex feſtinus iuſſit illi aſſignari au-  
 lam ubi dignè quieſceret. Puella uerò amore incenſa  
 inquietem habuit noctem, nec ſomnum oculis, nec  
 membrīs cura dat quietem, primaq; luce euigilans ir-  
 rupit cubiculum patris. Quam ut pater vidit, dixit,  
 Quid eſt quod præter conſuetudinem tam mane  
 euigilaſti? Puella ait, heſterna ſtudia excitauerunt me,  
 peto itaq; pater chariſſime ut me tradas hoſpiti noſtro  
 ſtudiorum percipiendorum gratiâ. Rex gaudio ple-  
 nus iuſſit ad ſe iuuenem vocari, cui ait, Apolloni fili-  
 mea ſtudiorum tuorum à te artem diſcere cupit, itaq; ſi

desiderio parueris, & ei ostenderis studia litterarum & cetera quæ nosti, quidquid tibi iratum mare abstulit ego restituum. Apollonius hoc audito, docuit puellam sicut ipse didicit. Interposito breui tempore, cum puella non posset vulnus amoris tolerare, multâ infirmitate \* membris peruictis, cœpit imbecillis iacere in thoro. Rex ut vidit filiam suam subitanam incurrisse valetudinem, sollicitus adhibuit medicos. Qui venientes tentant venas, tangunt singulas corporis partes, nec aliquas inueniunt ægri tudines.

\* mem'ra  
perit; affans.

Post paucos dies cum rex cum Apollonio loqueretur, tres iuuenes nobilissimi, qui per longum tempus filiam suam in matrimonium petierant, regem una voce salutauerunt pariter, Quos intuens rex ait, Quid est quod una voce me pariter salutatis? Vnus ex illis ait, pe tentibus nobis filiam tuam in matrimonium, tu sæpius differendo crucias, propter quod hodie simul venimus, ciues tui sumus, locupletes & bonis natalibus geniti, itaq; de tribus elige quem vis habere generum. Rex ait, non apto tempore me interpellatis, filia mea studijs vacat, & ob amorem studiorû imbecillis iacet.

\* codicillis, &  
eodem modo  
sæpe posita.

Sed ne videar vos sæpius differre, scribite in \* codicillis nomina vestra, & dotis quantitatem, quæ transmittam filiæ meæ, ut ipsa eligat quem voluerit. Scripserunt illi nomina sua & dotis quantitatem. Rex accepit codicillos & legit signauitq; & dedit Apollonio dicens, Tolle magister præter iniuriam hos codicillos, & perfer discipulæ tuæ, hic enim locus te desiderat. Apollonius acceptis codicillis introiuit cubiculum. Puella ut vidit

vidit quem diligebat, ait, Magister quid est quod solus introisti cubiculum? Apollonius ait, Sume hos codicillos quos misit tibi pater tuus & lege. Puella resignavit codicillos & legit trium nomina petitorum, perlectisq; codicillis respiciens Apollonium dixit, Magister Apolloni, ita non \*tibi dolet quod ego alij nubam? Apollonius ait, imo gratulor quod abundantia studiorum docta me \*docente nubis. Cui puella ait, Magister magister, si me amares doleres. Hæc dicens rescripsit & signavit codicillos, tradiditq; Apollonio ut eos regi deferret, scripserat autem hæc, Rex & pater optime, quoniam clementia tua permisit mihi ut rescribam, rescribo, Illum volo coniugem naufragum, fortuna deceptum, & si mireris facti quod pudica virgo tam imprudenter scripsit, quæ indicare non potui, per ceram mandavi, quæ ruborem non habet. Rex perlectis codicillis ignorans quem naufragum diceret, respiciens ad iuvenes ait, Quis vestrum naufragium passus est? Vnus ex illis nomine Andronius dixit, Ego sum passus naufragium. Alius ex illis ait, tace, morbus te consumat, nec saluus nec sanus sis, cum sciam te coætaneum meum mecum litteris eruditum, portum civitatis nunquam exisse, ubi naufragium fecisti? Rex cum non inuenisset quis eorum naufragium fecisset, respiciens Apollonium ait, tolle codicillos & lege, potest enim fieri quod ego non novi tu intelligas, qui præsens fuisti. Apollonius acceptis codicillis velociter perlegit, & ut sensit se amari, erubuit. Cui rex ait, Apolloni inuenisti naufragum? Apollonius ait, Bone rex, si per-

\*re.

\*dolentia

mittis, inueni. Et his dictis videns rex Apollonij faciem rubere, intellexit & ait, Quod filia mea concupiuit uotum meum est. Et respiciens rex tres iuuenes ait, Certè dico vobis cum nubendi tempus fuerit mittam ad vos, & dimisit eos à se. Ipse verò introiuit solus ad filiam suam & ait, quem tibi elegisti coniugem? Illa autem prostrauit se ad pedes patris sui & ait, Pater charissime quia cupis audire desiderium natæ tuæ, illum uolo & amo naufragum Apollonium magistrum meum, cui me si non tradideris, amisisti filiam. Itaq; cum rex lacrymas filia suæ sufferre non posset, erigit eam à terra & alloquitur dicens, nata dulcis noli de aliquare cogitare, quia talem concupisti quem & ego, ut \*eum vidi cui & amando factus sum pater, diem ergo nuptiarum sine mora constituam. Postera die vocantur amici vicinarum urbium ditionis regni eius, quibus confidentibus ait, Amici qua ex causa vos vocauerim discite ut sciatis, Vult filia mea \*nubere Apollonio Tyrio præceptori suo, peto itaq; ut omnium sit lætitia, quia filia mea prudenti viro sociatur. Hæc igitur dicens diem constituit nuptiarum. Numerantur dies & conuiuia prolixa tenduntur, celebranturq; nuptiæ regiæ dignitatis. Interpositis autem diebus & mensibus, cum haberet puella sexto iam mense ventriculum deformatum, rex Apollonius dum ambularet in littore iuncta sibi puella, vidit nauim speciosam, & dum utriq; laudarent, cognouit eam Apollonius esse de patria sua, & conuersus ad nauclerum ait, Dic mihi si valeas, unde venis? gubernator ait, à Tyro, Apollonius ait, patriam meam

\* enim vidi quod.

\* nubi.

meam nominasti, gubernator ait, ergo Tyrius es tu? Apollonius ait, ut dicis, gubernator ait, Noras aliquem patriæ illius principem Apollonium nomine? Apollonius ait, quasi me ipsum, gubernator ait, peto ubicumque illum videris ut gaudeat & exultet, quia rex Antiochus fulmine percussus arsit cum nata sua, opes autem regni Antiochi Apollonio referuantur. Apollonius ut hoc audiuit, gaudio plenus ad coniugem suam ait, Quod aliquando mihi naufrago credidisti modo probasti, peto itaque ut me abire permittas ad regnum percipiendum. Illa ut audiuit profusis lacrymis ait, Chare coniux, si alicubi in longinquo itinere esses constitutus, ad partum meum festinare debueras, at nunc cum sis præsens, disponis me relinquere? Sed si hoc velis, pariter nauigemus: & veniens ad patrem ait, Chare genitor lætare & gaude, quia sæuissimus rex Antiochus, cum filia concumbens, dei fulmine percussus est, opes autem & diadema eius compari meo referuantur, permitte me nauigare cum viro meo. Rex autem exhilaratus naues iubet produci in littus, & omnibus bonis impleri, præterea nutricem eius nomine Ligoridem, & obstetricem propter partum eius, simul nauigare præcepit. Et data proficiscendi copiâ deduxit eos ad littus, osculaturq; filiam & generum, & ventum eis optat. Ascenderunt naues cum multâ familiâ multoq; apparatu, & vento prospero flante nauigant. Qui dum per aliquantos dies totidemq; noctes Austris flâ-tibus \* pelago detinerentur, septimo mense, cogente <sup>\*pièpelago.</sup> infirmitate enixa est Lucinâ fauente puella; sed se-

cundis ventis mox euntibus, coagulato sanguine conclusoq; spiritu effecta est sicut mortua. Quod cum videret familia, exclamavit voce magna & ululatu. Concurrunt Apollonius & coniugem suam vidit exanimem iacentem, & scidit à pectore vestes, unguibus primas adolescentiæ genas discerpfit, & profusis fletibus iactavit se super corpus eius & ait, Chara coniux, Alcistratis regis filia, quid respondebo patri tuo pro te, qui me naufragum & egenum suscepit? Et cum hæc dixisset, introiit ad eum gubernator & ait, Domine tu pietatis causam facis, sed mortuum corpus navis sufferre non valet, iube hoc corpus in pelagus mitti ut possimus euadere. Apollonius dictum hoc indignè ferens ait ad eum, Quid narras pessime hominum? Placet tibi ut hoc corpus mittam, quod naufragum me & egenum suscepit? Erant autem ex servis eius fabri navales, quibus convocatis iubet consecari & compaginari tabulas, rimas & foramina bitumine liniri præcepit, & facere loculum, & charta plumbea intus posita obturari iussit. Perfecto loculo, regalibus ornamentis exornat puellam, & in loculo posuit, & xx. \*sestertia auri ad caput eius posuit, & dedit osculum funeri, fundens super eam lacrymas. Tunc infantem iussit tolli & diligenter nutriri, ut haberet in malis suis iucundum solatium, & pro filia neptem regi ostenderet. Et iussit loculum mitti in mare cum magno fletu. Tertia verò die unda maris eiecit loculum ad littus Ephesiorum, non longè à prædio cuiusdam medici \* Chæremonis nomine, qui cum discipulis suis eadem die in littore ambularet.

\*sestertias, uti  
et posse a sem-  
per.

\* Chæremonis.

Tunc

Tunc vidit loculum effusis fluctibus iacentem ad oram maris, & ait feruis suis, tollite hunc loculum cum omni diligentia & ad villam perferte. Quod cum ita fecissent ferui, medicus leniter aperiens vidit puellam regalibus ornamentis decoratam, & speciosam valde, & in falsa morte iacentem, obstupuit & ait, Quas putamus lacrymas hanc puellam parentibus suis reliquisse? Et vidit subtus caput eius pecuniam positam, & sub pecunia chartulam scriptam, & ait, perquiramus quid desiderat aut mandat dolor: \* quod cum resignasset, inuenit titulum scriptum, Quicumque hunc loculum inueneris, habes xx. sestertia auri, peto ut x. habeas, x. funeri impendas, hoc enim corpus multas lacrymas reliquit parentibus, & dolores amaros: quod si aliud feceris quam quod dolor exposcit, ultimum diem incidas, nec sit qui corpus tuum sepulturæ commendet. Perlectis autem chartulis ad feruos ait, præstemus corpori quod dolor exposcit, iuro vobis per spem vitæ meæ, in hoc funere amplius me erogaturum quam dolor imperat. Continuò iubet instrui rogam; sed cum rogam ædificatur atq; componitur, superuenit discipulus medici, aspectu adolescens, & quantum ad ingenium pertinet senex. Hic cum corpus speciosum super rogam vidisset positum, \* intuitus magister eum, ait, Bene venisti, hæc enim hora expectauit te, tolle ampullam unguenti, & quod supremum est defunctæ beneficio superfunde sepulturæ. Venit iuuenis ad corpus puellæ, detraxit à pectore vestes, \* fudit unguenti liquorem, tractans manu corpus omne, præcordia viuere sensit & obstu-

\* quos.

\* intuitus  
magistrum.

\* fundit.

obstu-

obstupuit, pulpat venas & indicia rimatur narium, labia labijs probat, sensit vitam cum morte luctantem, & ait ad seruos suos, supponite faculas per quatuor angulos, lenteq; & temperatè supponite. Quo facto, sanguis ille qui coagulauerat liquefactus est. Quod ut vidit iuuenis, ait magistro, puella quam dicis mortuam esse, viuit, & ut facilius mihi possis credere, experimento satisfaciam. His dictis tulit puellam & in cubiculum suum posuit, calefaciens oleum madefecit lanam, & posuit super pectus eius, sanguis verò ille qui intus coagulatus fuerat, accepto tepore liquefactus est, cœpitq; spiritus per medullas descendere, venis itaq; patefactis aperuit oculos, & recipiens spiritum leniebat verbum, lentoq; sermone ait, Quisquis es, ne contingas me aliter quam oportet tangere regis filiam regisq; uxorem. Iuuenis ut vidit quia magistrum fallebat, gaudio plenus ait ad eum, Magister \*incipere discipuli tui

\* accipe.

\* apodixen.

\* apodixin præclaram laudare. Et introiuit magister cubiculum, & vidit puellam viuam, & ait discipulo suo, probo artem, laudo prudentiam, miror diligentiam, & audi discipule, nolo te artis tuæ esse ingratum, accipe mercedem, hæc enim puella multam pecuniam secum attulit: & iussit eam salubribus vesci cibis, & fomentis optimis recreari. Post paucos dies ut cognouit eam genere regio ortam esse, adhibitis amicis filiam sibi adoptauit, & ut rogabatur ab ea cum lacrymis ne ab aliquo contingeretur, inter sacerdotes Dianæ templi eam cum sceminis misit, ubi inuiolabiliter seruaretur.



Inter hæc Apollonius dum nauigat cum ingenti  
 luctu, gubernante deo applicuit Tarso, & descendens à  
 rati petijt domum Strangulionis & Dionysiadis. Quos  
 cum salutasset, omnes casus suos exposuit eis dolenter,  
 dicens, Quantum in amissa coniuge flebam, tantum  
 in reseruata mihi filia consolabar; & intuens Strangu-  
 lionem & Dionysiadem ait ad eos, Sanctissimi hospites,  
 post amissam coniugem, regnum quod mihi serua-  
 tur accipere nolo, neq; ad socerum reuertar cui in mari  
 perdididi filiam, sed agam potius opera mercatoris, ideo-  
 q; vobis commendo filiam meam, ut cum filia vestra  
 \*Philomatia nomine nutriatur. Quam ut bono animo \* Philomatia.  
 suscipiatis, peto ut patriæ vestræ nomine agnominetis  
 Tarsiam, præterea nutricem uxoris meæ Ligoridem  
 nomine, cura sua puellam custodire volo. Hæc dicens  
 tradidit Strangulioni infantem, deditq; aurum & ar-  
 gentum vestesq; copiosas, & iurauit neq; barbam neq;  
 capillos nec ungues tonsurum, nisi prius filiam suam  
 dedisset nuptum. At illi stupentes quod tam graui-  
 ter iurauerat, cum magna diligentia educaturos se puellam  
 repromittunt. Apollonius autem nauim ascendit,  
 altumq; pelagus petens, ignotas & longinquas terras  
 petijt Ægypti regiones. Interea puella Tarsia expleto  
 quinquennio traditur liberalibus studijs, una cum  
 Philomatiâ filia eorum coætanea sua, & docebantur  
 grandi ingenio. Cumq; ad XIII. annos venisset, reuer-  
 sa de \*auditorio inuenit nutricem suam Ligoridem \* auditorio.  
 subitanam valetudinem incurrisse, & sedens iuxta e-  
 am caussas infirmitatis plorat. Cui nutrix, audi nutri-

culæ morientis verba suprema, domina Tarsia, hæc pectori tuo comenda: Interrogo namq; te, quẽ tibi putas patrem aut matrem vel patriam? Puella ait, patriam Tarsum, patrem Strangulionem, matrem Dionysiadem. Nutrix ingemuit & ait, Audi stemmata & originem natalium tuorum, ut scias quid post mortem meam agere debeas. Est tibi pater nomine Apollonius, & mater \* Alcistratis regis filia, quæ cum te enixa est statim præcluso spiritu ultimum diem designauit, quam pater tuus Apollonius, effecto loculo, cum ornamentis regalibus in mare misit, & xx. festertia auri posuit sub caput eius, ut ubicumque fuisset deuoluta \* ipsa sepulta fuisset. Nauis quoq; luctantibus ventis cum patre tuo lugente, & te in cunabulis posita, peruenit ad hanc ciuitatem. His ergo hospites Strangulioni & Dionysiadi una mecum te commendauit Tyrius Apollonius pater tuus, votumq; fecit nec capillos nec ungues detonsurum, nisi prius te nuptum tradiderit. Nunc ergo moneo, ut si post mortem meam hospites tui quos parentes tuos appellas, aliquam forte tibi iniuriam fecerint, ascende in forum, & ibi inuenies statuam patris tui stantẽ, apprehende illã et proclama, filia eius sum cuius est statua. Ciues verò memores beneficiorũ patris tui, iniuriam tuã vindicabunt. Cui Tarsia, chara nutrix deum testor, quia si forte aliquis humanus casus euenisset antequã hæc mihi dixisses, ego penitus non scirem unde essem. Et cum hæc inuicem loquuntur, nutrix emisit spiritum. Tarsia verò corpus nutricis suæ sepeliuit, atque die annuo lugebat. Post deposito

luctu,

\* Lucina Alcistratis.

\* ipsa sibi sepulta fuisset.

luctu, induit priorem dignitatem, petijt scholas ad studia liberalia reuerſa; non prius ſumebat cibum quam nutricis monumentum introiſſet, & ferens ampullam vini ingrediebatur, & ibi manes parentum ſuorum inuocabat. Et cum hæc agerentur, quadam die Dionyſiades cum filiâ ſuâ Philomatiâ & Tarſiâ tranſibat per publicum: videntes omnes ciues ſpeciem Tarſiæ & ornamentum dixerunt, felix pater cuius filia Tarſia eſt, illa verò quæ adhæret ei turpis eſt & dedecus. Dionyſiades ut audiuit Tarſiam laudari, ſuam filiam vituperari, verſa in infaniam furoris, ſola ſedens ſecum cogitauit, Pater eius ex quo hinc profectus eſt habet annos XIII. non venit ad recipiendam filiam ſuam, nec litteras miſit, reor quod mortuus ſit, nutrix eius \* deceſſit, *\* deſceſſit.* neminem habeo æmulum, tollam eam de medio, & ornamentis eius filiam meam ornabo. Et hæc cogitans, nunciatur ei villicus veniſſe de villâ nomine Theophilus. Quem conuocans ait, Si cupis libertatem cū præmio accipere tolle Tarſiam de medio. Villicus ait, quid peccauit innocens virgo? Scelerata eſt ait, iam mihi negare non poteſ, fac quod iubeo, ſi negligis ſententiam meam, me tibi ſcias iratam. Villicus ait, qualiter domina hoc fieri poteſt? At illa, conſuetudo illi eſt mox ut venerit de ſcholis, non prius ſumere cibū quam nutricis ſuæ monumentum introierit, ibi te cum pugione \* acutiſſimo paratum inueniat, \* crines ex occul- *\* altiſſimo.* to comprehendens à vertice aſtringe & interfice, & *\* cuius.* corpus eius mitte in mare, cum adueneris & de facto nunciaueris, libertatem cum præmio accipies. Villi-

cus tulit pugionem, & latere suo celans intuetur cælum & ait, Ego non merui libertatem nisi per sanguinis effusionem innocentis virginis? Et gemens & flens ibat ad monumentum, & ibi latere cœpit. Puella autem rediens de schoâ tulit ampullam vini, & ingressa in monumentum casus suos exposebat: & dum inuocat manes parentum, villicus impetum fecit, & apprehendens crines puellæ iactauit eam in terram, dum autem vult percutere ait ad eum Tarsia, ô Theophile quid peccauit ut in manu tuâ moriar? Cui villicus ait, tu nihil peccasti sed pater tuus, qui te cum magnâ pecuniâ & ornamentis regijs reliquit. Cui puella ait, peto domine ut si nulla spes est vitæ meæ permittas mihi deum testari. Villicus, testare, & deus ipse scit me coactum facere hoc scelus. Sed cum precatur apparuerunt piratæ, & videntes puellam sub iugo mortis stare, hominem armatum volentem percutere eam, clamauerunt, Parce, crudelissime barbare, hæc nostra præda, non tua victima est. At ille ut talia audiuit, fugiens post monumentum latuit in littore maris. Piratæ verò raptâ virgine petunt mare. Villicus redijt ad dominam suam & ait, Quod iussisti, factum scias: tu verò propter ciuium curiositatem ad præsens indue lugubrem vestem, sicut & ego, & falsis lacrymis dicamus eam stomachi dolore fuisse imbecillem, & prope suburbanos exitus fuisse defunctam. Strangulio ut audiuit, tremor & stupor cœpit eum, atq, ita dixit, Equidem da & mihi vestes lugubres ut lugeam, quia tali \* sceleri sum iunctus. Heu quid faciam! Cum \* Apollonium suscepissem,

\* scelere.

\* eū suscipiss.

sem, & ciuitatem à periculo mortis & famis \* ille eri- <sup>\* deest ille.</sup>  
 pisset, \* hanc quasi suam ingressus est ciuitatem. Pro- <sup>\* hanc.</sup>  
 pter hanc naufragium pertulit, bona perdidit, exitium  
 & penuriam perpeffus est. Adeò verò restitutum est ei  
 malum pro bono, filiam suam quam nobis commisit  
 bonâ fide nutriendam, \* cui nomen caussa nostri amo- <sup>\* cussa.</sup>  
 ris imposuit nostræ ciuitatis, scelestâ & sæua lea deuor-  
 ruit. Heu cæcatus sum, Lugeam puellam innocen-  
 tem & me, qui iunctus sum ad pessimam venenosamq;  
 serpentem: & in cælum oculos eleuans ait, Deus tu scis  
 quia purus sum à sanguine Tarsia, & requiras in Dio-  
 nyfiade, & intuens Dionysiadem ait, Quomodo suf-  
 focasti filiam regis, inimica Dei, hominumq; oppro-  
 brium? Dionysiades induit se & filiam suam lugubres  
 vestes, falsasq; lacrymas fundunt, & unito populo, ad  
 ciues clamauit & ait, Ciues charissimi, ideo ad vos cla-  
 mamus, quia spes oculorum nostrorum Tarsia, quam  
 bene à nobis educatam scitis, dolore subitò defuncta  
 est, & nobis cruciatus & amarus fletus reliquit, quam  
 dignè sepelire facimus. Tunc pergunt ciues ubi figura-  
 tum erat, & pro meritis fabricant loculum ex ære \* col- <sup>\* collatum.</sup>  
 lato, & scripserunt DII. MANES. CIVES. TARSIAE. VIRGI-  
 NI. PRO. BENEFICIIS. PATRIS. EIVS. SEPVLCHRVM. EX.  
 AERE. \* COLLATO. FECERVNT. Igitur qui Tarsiam rapue- <sup>\* collatum.</sup>  
 rant, aduenerunt in ciuitatem Mitylenen. Deponitur  
 illa inter cetera mancipia venalis. Audiens eam leno  
 infauitissimus, mollis & impurus & diues, contendere  
 cœpit ut emeret eam. Sed Athenagoras princeps eiu-  
 dem ciuitatis, nobilem & sapientem & pulchram cer-

nens puellam, obtulit x. sestertia auri, Leno ait, Ego dabo xx. Athenagoras dixit, ego xxx. Leno, ego xl. Athenagoras l. Leno, lx. Athenagoras lxx. Leno octoginta, Athenagoras xc. Leno, Ego in præsenri c. sestertia auri, & ait, si quis amplius, x. dabo super. Athenagoras ait, Ego si hîc cum lenone contendere voluero, ut unam emam plures venditurus sum, permittam eum emere, & cum eam prostituerit in lupanar intrabo prior ad eam, & eripiam nodum virginitatis, & erit mihi sicut emerim eam. Quid plura? Aduertitur in saluatorium, ubi \*leno habuit Priapum aureum ex gemmis, & ait, Adora præsentissimum numen; at illa, Nunquam tale numen adoraui, & ait, Domine nunquid ciuis Lampfacenus es tu? Leno ait, Quare? At illa, quia ciues Lampfaceni Priapum colunt. Leno ait, nescis misera quia in domum lenonis auari incurristi? Puella ait, prosternens se ad pedes eius, Miserere domine virginitatis meæ, ne prostituas hoc corpus sub tam turpi titulo. Cui leno ait, nescis quia apud lenonem & tortorem nec preces nec lacrymæ valent? Et vocauit villicum puellarum & ait, Ancilla quæ præsens est exornetur diligenter, & scribatur ei titulus, Quicumque Tarsiam deuiolauerit, mediam libram dabit, postea ad singulos solidos populo patebit. Villicus fecit quod iussum fuerat. \*A lenone tertia die, antecedente turba cum symphoniâ deducitur ad lupanar. Sed Athenagoras princeps ciuitatis primum ingreditur velato capite. Introiuit cellam & assedit. Et adueniens Tarsia procidit ad pedes eius & ait, Miserere mei domine,

\*decß leno.

\*Cum lenone.

domine, per iuuentutem tuam & per deum te adiuro, ne velis me violare, contine impudicam libidinem tuam, audi casus infelicitatis meæ, & originis meæ stemmata considera. Cui cum uniuerfos casus suos exposuisset, princeps confusus & pietate plenus ait ei, Erige te, scimus fortunæ vicissitudines & casus, homines enim sumus: habeo & ego filiam tibi similem, de quâ similes casus metuo. Hæc dicens, dedit ei XL. aureos dicens, ecce habes amplius quam virginitatis tuæ propositum sit, dic aduenientibus similiter, quousq; libereris. Puella profusis lacrymis ait, Ego pietati tuæ gratias ago, & \*rogo ne alicui narres quæ à me audisti. Athenagoras ait, si narrauero, filia mea cum ad talem venerit ætatem, similem \*casum patiatur, & cum lacrymis discessit. Cui exeunti obuius eius collega ait, Quomodo tibi conuenit cum puellâ? Athenagoras ait, non potuit melius, erat enim tristis. Exeunte Athenagora intrat iuuenis, & puella more solito ostium clausit. Cui iuuenis ait, quantum tibi dedit iuuenis ille? Puella, XL. aureos. Iuuenis ait, accipe integram libram auri. Athenagoras audiuit & ait, quanto plus dabis, tanto plus plorabit. Puella ut accepit nummos, procidit ad pedes eius, & casus suos indicauit. Aporiatus iuuenis ait, Domina alleua te, homines sumus, casibus subiacemus. Hæc dicens exijt. Vidit itaq; Athenagoram ridentem, & ait illi, Magnus homo es, non habes cui lacrymas propines nisi mihi? Et iurabant ne hæc verba cuiquam proderent, & cœperunt aliorum euentum expectare, \*insidiantes per occultum aspectum: omnes qui in-

troibant

\*deest rogo.

\*deest casum.

\*insidiantibus.

*\* deest puella.*

troibant dantes pecuniam flentes exhibant. Postea \*pu-  
 ella obtulit lenoni pecuniam dicens, Ecce pretium vir-  
 ginitatis meæ. Leno ait, vide ut tantas quotidie pecu-  
 nias afferas. Alterâ die item ait ad eum, ecce pretium  
 virginitatis meæ, quam lacrymis & precibus custodio.  
 Iratus leno audito quod virgo mansisset, vocat villi-  
 cum puellarum & ait, Duc eam ad te, & eripe nodum  
 virginitatis, si virgo tantum, quantum mulier \* offeret?  
 Cumq; eam villicus duxisset in cubiculum, dixit ad e-  
 am, dic mihi, adhuc virgo es? At illa, quam diu deus  
 vult virgo sum. Villicus ait, unde tantam attulisti pe-  
 cuniam? Puella ait, lacrymis profusis, exponens omnes  
 casus meos, rogavi homines ut misererentur virgini-  
 tatis meæ, & prosternens se pedibus eius ait, Miserere  
 mi domine, subueni captivæ regis filiæ, ne violes me.  
 At ille, nimium avarus est leno ille, nescio si possis vir-  
 go manere. At illa, studijs liberalibus erudita sum, & in  
 lyra possum modulari, duc me in forum, ibi facundiam  
 meam poteris audire, proponam quæstiones populo,  
 \*propositas sol-  
 no. \*propositas solvam, & hac arte quotidie pecunias ap-  
 plicabo. Quod fecit villicus, & omnis populus cucur-  
 rit ad virginem videndam. At illa aggreditur facundi-  
 am studiorum, quæstiones sibi proponi iubet, & accē-  
 ptas cum multo favore solvit. Tunc ingens clamor po-  
 puli circa eam excrevit, ut multa pecunia ei ab omni-  
 bus daretur. Athenagoras verò illam integrâ virginita-  
 te ut unicam filiam custodiebat, ita ut eam villico do-  
 nis multis commendaret. Cum hæc Mytilene ageren-  
 tur, venit Apollonius decimoquarto anno iam trans-

acto,



acto, ad domum Strangulionis & Dionysiadis in ciuitatem Tarsum. Quem cum vidisset Strangulio perrexit rapido cursu, dixitq; Dionysiadi uxori suæ, certè dixeras Apollonium naufragium fecisse, ecce venit ad rependam filiam suam, quid dicturi sumus patri de filia? Et illa dixit, miser coniux confiteor, nostram cum diligere perdidisti alienam: accepi verò consilium, ut veste lugubri induerer, fictas funderem lacrymas, & dicerem in villâ suburbanâ perijisse Tarsiam, cum nos ipse viderit tali habitu, credet nobis. Cum hæc ita diceret, introiuit Apollonius, ut verò vidit eos lugubri indutos ait, Fidelissimi hospites mei, quid in aduentu meo tam longas funditis lacrymas? aut certè istæ lacrymæ non sunt vestræ sed meæ. Scelestâ mulier cum mœrore expressit lacrymas & ait, Vtinam ad aures tuas alius per tulisset, & non ego aut coniux meus, nam Tarsia filia tua subito dolore stomachi defecit. Apollonius hoc audiens, totum corpus suum contremuit, diuq; defixus stetit, tandem resumpto spiritu intuens mulierem ait, Dionysiades, si filia mea ut dicis mortua est, nunquid & pecunia ac vestes, simulq; ornamenta perierunt. Scelestâ ait, ex parte sunt, ex parte perierunt: tunc aliqua ex eis proferuntur, dixeruntq; Apollonio, Crede nobis quia credidimus ut filiam inuenires; & ut scias nos non esse mentitos, habemus testimonium, ciues enim nostri memores beneficiorum tuorum, in proximo littore ex ære\* collato filiæ monumentum fecerunt, x collatum quod potes videre. Apollonius credens eam defunctam, ad famulos ait, Tollite hæc famuli & ferte ad nauim,

uim, ego vadam ad filiaë meæ monumentum. Et ubi venit, legens titulos, CIVES. TARSENSIS. TARSIAE. APOLLONII. FILIAE. OB. BENEFICIVM. EIVS. MONVMENTVM. EX. AERE. \* COLLATO. DEDERVNT. Perlectis titulis stupente mente constitit, & dum se non flere miraretur, maledicens oculis ait, O crudeles oculi, potuistis titulum filiaë meæ cernere, non potuistis lacrymas fundere! Et veniens ad nauim, famulis suis ait, proijcite me quæso in sentinam nauis, cupio enim in undis exhalare spiritum. Et dum prosperis nauigat ventis Tyrum reuersurus, subitò mutatum est pelagus, & per diuersa maris discrimina naues iactabantur. Omnibus autem deum rogantibus, ad Mitylenem ciuitatem venerunt. Gubernator cum omnibus dedit plausum. Apollonius ait, quis sonus hilaritatis aures meas percutit? Gubernator ait, gaude domine, quia hodie Neptunalia celebrantur. Apollonius ingemuit & ait, Ergo omnes diem festum celebrent præter me. Tunc vocauit dispensatorem suum & ait illi, Ne non lugens sed auarus videar, sufficiat famulis meis ad pænam quod tam infelicem fortiti sunt dominum, dona x. aureos, & emant si quid volunt, & diem festum celebrent, me autem veto à quocumque vocari, quod si quis fecerit, crura illi frangi iubebo. Dispensator itaque emit necessaria, & redijt ad nauim. Cum igitur inter omnes nauis Apollonij honoratior foret, & cum \* diem festum magno conuiuio melius ceteris \* celebrarent nautæ Apollonij, Athenagoras qui Tarsiam diligebat ut filiam, deambulabat in littore, viditq; nauim Apollonij & ait, Amici,

*collatum.*

*\* abest, diem festum.*

*\* celebrat.*

mici,

mici, ecce illa nauis mihi placet quam video paratam. Nautæ ut audiunt suam nauim laudari, dicunt, Inuitamus te princeps magnifice, si dignaris. Athenagoras ascendit nauim, & libenti animo discubuit, posuitq; x. aureos in mensa & ait, Ecce ne frustra me inuitaueritis. Omnes dixerunt, bene accipis nos domine. Videns autem Athenagoras omnes unanimiter discumbentes ait, Quis dominus est nauis? Et ait gubernator, Dominus nauis in luctu moratur, iacet in tenebris sub sentinâ nauis, & mori destinatus, in mari coniugem perdidit, & in terris filiam. Athenagoras ait ad unum de seruis Ardalium nomine, dabo tibi duos aureos, tantum descende & dice ei, rogat te Athenagoras princeps ciuitatis huius, procede de tenebris ad lucem. Iuuenis ait, non possum aureis mea crura reparare, quære alium, quia iussit ut quicumque eum appellauerit, crura eius frangantur. Athenagoras ait, hanc legem vobis constituit, non mihi quem ignorat, ego ad eum descendam, dicite quomodo vocatur. Et dixerunt famuli Apollonius. Athenagoras audito hoc nomine ait intra se, & Tarsia patrem appellauit Apollonium. Tunc pueris demonstrantibus peruenit ad eum. Quem ut vidit barbâ capite squalidum & in tenebris iacentem, \* sub-<sup>\* submira.</sup>missa voce dixit, Aue Apolloni. Apollonius ut audiuit, putans se ab aliquo seruorum appellari, turbulento vultu respiciens, vidit ignotum sibi hominem, mœstum & decorum, furorem silentio texit. Athenagoras ait, Scio te mirari quod ignotus te appellauit, discite quia princeps sum huius ciuitatis, Athenagoras nomine,

descendi in littus ad naues contuendas, inter ceteras  
 vidi nauim tuam decenter ornatam, & amaui aspectū  
 eius, dum aspicio, inuitatus sum à nautis tuis, ascendi  
 & libenti animo discubui, inquisiui dominum nauis,  
 quem dixerunt in luctu grandi esse, quod & video. Pro-  
 dest ergo quod veni ad te, procede de tenebris ad lu-  
 cem, discumbe paullisper, spero autem quia dabit tibi  
 deus post hunc ingentem luctum amplius gaudium.  
 Apollonius leuauit caput & ait, Quisquis es domine  
 vade in pace, ego autem non sum dignus epulari, &  
 amplius viuere nolo. Athenagoras confusus, ascendit  
 in superiora nauis & dixit, non potui persuadere domi-  
 no vestro ut vel ad lucem exiret, quid faciam ut eum re-  
 uocem à proposito mortis, & ait ad unum de pueris su-  
 is, Vade ad lenonem & roga eum ut mittat ad me Tar-  
 sian, habet enim sapientiam & sermonem suauem,  
 potest eum forsitan exhortari, ne talis taliter moriatur.  
 Leno cum audisset, permisit eam. Venit igitur puella  
 ad nauim, ad quam ait Athenagoras, veni ad me Tarsia  
 domina, hic necessaria est ars studiorum tuorum, ut  
 consolers dominum nauis in tenebris sedentem, atq;  
 hortaris, prouoces eum exire ad lucem, lugentem coni-  
 ugem & filiam, hæc est causa pietatis, pro qua deus  
 propitius est hominibus. Accede ad eum, & suade ei  
 venire ad lucem, forsitan per nos deus vult eum viuere,  
 si enim poteris facere, dabo tibi xxx. sestertia argenti  
 & totidem auri, & xxx. dies redimam te à lenone. Pu-  
 ella hæc audiens constanter ad hominem descendit, &  
 mira voce salutauit eum dicens, Salue quicumque es  
 salue

salue & lætare, non enim ad te consolandum polluta  
 venit, sed innocens virgo, quæ virginitatem suam in-  
 ter naufragia & castitatem inuiolatam \* conseruauit. \* conseruauit  
 Tunc in carminibus cœpit modulatâ voce cantare.

Per fordes gradior, sed sordium conscia non sum,

Sic rosa de spinis nescit violari ullis.

Corripit & raptor gladij ferientis ab ictu:

Tradita lenoni non sum violata pudore.

Vulnera cessassent animi, lacrymæq; deessent,

Nulla etenim melior, si nossem certa parentes,

Vnica regalis generis sum stirpe creata:

Ipsa iubente deo lætari credo aliquando.

Figemodo lacrymas, curam dissolue molestam,

Redde polo faciem, mentemq; ad sidera tolle.

Nam deus est hominû plasmator, rector & auctor,

Non finet has lacrymas casso finire labore.

Ad hæc Apollonius leuauit oculos, & ut vidit puellam  
 ingemuit, & ait, Heu mihi misero, contra pietatem  
 quam diu luctabor! Erigens se Apollonius resedit &  
 ait, Gratias ago prudentiæ tuæ, & nobilitati hanc vi-  
 cem rependo, ut memor tui sim si quando lætari licet,  
 & regni mei viribus leuabo: Forsitan ut dicis regio ge-  
 nere orta es, natalibus parentum tuorum repræsenta-  
 beris. Nunc accipe centum aureos, & ac si me in lucem  
 reduxeris læta discede, noli me appellare, recente enim  
 luctu renouatâ calamitate tabesco. Puella acceptis au-  
 reis abire cœpit: & ait ad eam Athenagoras, quo vadis  
 Tarsia? sine effectu laborasti? non potuisti facere mise-  
 ricordiam, ac subuenire homini interficienti se? Et

ait Tarsia, omnia quæcumque potui feci, & datis mihi centum aureis abire rogauit, & ait renouati se luctus dolore cruciari. Athenagoras ait, dabo tibi ducentos, descende, redde quod dedit, & dic, Salutem tuam, nõ pecuniam quæro. Descendens Tarsia sedit iuxta eum & ait, Si in isto squalore & in tenebris permanere destinasti, permitte me tecum sermonem miscere. Si ergo parabolæ mearum nodos \* solueris, vadam, si aliâs, refundam tibi pecuniam & abscedam. Tunc Apollonius, ne reciperet pecuniam, sed etiam puellæ prudentes sermones audiret, ait, licet in malis meis nulla mihi cura suppetat nisi flendi & lugendi, tamen ne ornamento lætitiæ caream, quod interrogatura es \* breuiter interroga & abscede, peto enim ut fletibus meis spatium tribuas. Et ait Tarsia,

\* absolueris.

\* deest breuiter interrogaturus.

Est domus in terris quæ nobis clausa resultat,

Ipsa domus resonat, tacitus sed non sonat hospes:

Ambo tamen currunt, hospes simul & domus una. Et ait, si rex es ut dicis, conuenit te nihil esse prudentius, solue quæstionem. Et ait Apollonius, Vt scias me non esse mentitum, domus quæ in terris resonat, unda est, hospes tacitus, piscis est, qui cum domo suâ currit. Et ait Tarsia,

Longa feror velox formosæ filia syluæ,

Innumerâ pariter comitum stipante cateruâ:

Curro vias multas, vestigia nulla relinquo.

Apollonius ait, O si licitum esset, ostenderem tibi quæ tu ignoras: tamen respondebo quæstionibus tuis, miror te tam tenera ætate mirifica prudentia esse imbutam,

tam, namq; arbor stipitata cateruis, vias multas currens  
& vestigia nulla relinquens, nauis est. Et \*Tarsia ad- \*deest Tarsia  
didit,

Per totas ædes innoxius introit ignis,

Est calor in medio magnus, quem nemo remouit:

Non est nuda domus, nudus sed conuenit hospes,

Si luctum \*ponas, infons\* intrabis in ignes.

\*poneres:  
\*intrares.

Apollonius ait, intrarem balneum, ubi hinc inde flam-  
mæ per tabulas surgunt, nuda domus in qua nihil in-  
tus est, nudus hospes conuenit, nudus sudabit. Cum  
hæc & his similia diceret, puella misit se super Apollo-  
nium, & distractis manibus eum amplexabatur dicēs,  
Quid me tantis malis affligis, exaudi vocem deprecant-  
tis, respice virginem, talis prudentiæ virum mori nefa-  
rium est, Si coniugem desideras, deus tibi restituet, si  
filiam, saluam & incolumem inuenies. Et tenens eum  
conabatur trahere. Apollonius in iracundiam versus,  
surrexit & Tarsiam calce percussit. Impulsa virgo ceci-  
dit, & genæ eius ruptæ sunt, cœpitq; sanguis effluere.  
Conturbata virgo cœpit flere & dixit, O ardua cœlo-  
rum potestas! tu \*me tantæ calamitatis angustijs ab \*me pates  
tanta.  
ipsis natiuitatis meæ exordijs fatigas, nam ut nata sum  
inter fluctus & procellas, mater mea doloribus con-  
stricta periit, & mortuæ sepultura negata est in terra,  
ornata à patre meo dimissaq; in loculo cum xx. fester-  
tiji auri, Neptuno tradita est. Ego infelix Strangulioni  
& Dionysiadæ impijssimis hominibus à patre commif-  
sa, cum ornamentis & regalibus vestibus, usque ad ne-  
cem superueni, per inuidiam iussa sum puniri à seruo  
eorum

\* CING.

DE PART. STREY.  
ENGLISH.

\*eorum ac occîdi. Tandem\* cum ferro intra iugulum prope condito, ut deum testârer postulassem, piratis superuenientibus sum rapta, & in hunc locum deducta. Deus reddet me Apollonio patri meo. Apollonius audiens hæc signa, exclamauit voce magna & ait, O domine misericors, qui conspicias cælum & abyssum, & omnium secreta patefacis! Et hæc dicens, cecidit super amplexus Tarsia, & vehementius clamauit dicens, Currite famuli, currite amici, anxietati meæ finem imponite. Audito clamore famuli cucurrerunt, cucurrit etiam inter illos Athenagoras princeps, & descendentes illis in nauim, inuenerunt flentem super collum filia suæ, & dicentem, Ecce filia mea quam lugeo. Tûc erigens se Apollonius proiectis vestibibus lugubribus, indutus est vestibibus mundissimis. Cui filia narrauit quomodo à lenone comparata, in lupanari posita est. Audiens hæc Athenagoras, timens ne alij filiam in matrimonium daret, misit statim se ad pedes Apollonij dicens, Adiuro te per deum uiuum, qui te patrem filia restituit, ne alij des filiam tuam nisi mihi: sum enim princeps huius ciuitatis, mea ope virgo permansit, & me ducente patrem agnouit. Cui Apollonius ait, Ego huic tantæ pietati & bonitati non possum esse contrarius, imo opto, quia uotum uoui non me depositurum luctum, nisi filiam meam nuptum tradidero, hoc enim restat ut filiam meam vindicem à lenone quem sustinuit inimicum. His auditis Athenagoras citò cucurrit ad curiam, & conuocatis ciuibus dixit, Ne pereat ciuitas propter unum impium, sciatis Apollonium

regem



regem ad hoc venisse, ecce classes nauium properant grandi cum exercitu, euersurus ciuitatem lenonis ob impietatem, quia Tarsiam filiam suam in lupanari cōstituit. Mox ut dictum est, concursus factus est & tanta commotio populi, ut nec viri nec fœminæ remanerent quin concurrerent ad Apollonium regem. Et dixit Athenagoras, Vt liberetur ciuitas, ducatur ad eum leno. Vinc̄tis ergo manibus post tergum deducitur leno. Apollonius regiâ veste indutus, tonso capite & omni squallore deposito, diadema imposuit, tribunal ascendit, ciuibusq; audientibus ait, Vidistis Tarsiam à patre suo hodie cognitam, quam cupidissimus leno ad vos despoliandos usq; hodiè depressit. Vt ergo pietati vestræ plenius grâtiâ referam, filiæ meæ procurete vindictam. Omnes unâ voce dixerunt, Leno viuus ardeat, & diuitiæ eius puellæ dentur. Adducitur leno protinus, & igni traditur arsurus. Tarsia ait villico, dono tibi libertatem, quia beneficio tuo & ciuium virgo permansi, & donauit ei ducentos aureos & libertatem: libertatem verò cunctis puellis coram se præsentatis \*donauit, & dixit, quidquid de corpore vestro hactenus seruistis, ex hoc liberæ estote. Erigens etiam se Apollonius ad populum loquitur dicens, Grâtiâ pietati vestræ refero venerandi & pijsissimi ciues, quibus longa fides pietatem præbuit, & quietis salutem exhibuit, nunc ergo tribuo vobis auri pondera quinquaginta. Quod cum in præsentî fieret, fuderunt ei statuam ingentem, & in base scripserunt,

\* perdonauit.

APOLLONII TYRII

TYRIO. APOLLONIO

RESTAVRATORI

DOMVVM NOSTRARVM

ET. TARSIAE

SANCTISSIMAE. FILIAE

EIVS. VIRGINI.

Tunc intra paucos dies Apollonius tradidit filiam suam in coniugium Athenagoræ, cum ingenti lætitiâ totius ciuitatis. Et cum eodem nauigans inde cum suis omnibus, volens per Tarsum proficiscendo redire ad patriam suam, in somnis admonitus est per angelum, ut Ephesum descenderet, & intraret templum Ephesiorum cum filiâ & genero suo, ibiq; omnes casus suos exponeret quos passus esset, postea veniret Tarsum, & vindicaret innocentem filiam suam. Apollonius expergefactus, indicauit hæc omnia genero & filiæ suæ. Et illi dixerunt, fac quod tibi videtur. Tunc iussit gubernatori tendere Ephesum. Qui cum descendisset ratham cum suis, templum petijt, ubi coniux sua inter sacerdotes principatum tenebat. Rogauit ut aperiretur sibi sacrarium: dicitur prius sacerdoti, Venit quidam nescio quis, cum filiâ & genero suo & nimijs donis, & petit sibi aperiri sacrarium. Hoc audito, Alcistratis \* regis filia gemmis regalibus ornauit caput, & vestiuit se veste purpureâ, venitq; stipata cateruis, erat enim effigie decora, & ob nimiam castitatis amorem, asserébât omnes nullam tam gratam esse virgini. Quam videns Apollonius cum filiâ suâ & genero, misit se ad pedes eius,

\* deest regis filia.

eius, tantus enim splendor eius pulchritudinis imminabat, ut ipsa esse Diana videntibus putaretur. Aperto itaque sacrario, obtulit multa munera pretiosa, & post hæc cœpit Apollonius dicere, Ego ab adolescentia rex natus, Tyrius Apollonius nominatus, cum ad omnem scientiam peruenissem, regis iniqui Antiochi quæstionem exsolui ut eius filiam acciperem, sed ille fœdissimâ forde fauciatus est, ita ut \* cui pater fuerat constitutus per naturam, ei fieret coniux per impietatem: nam & me conabatur occidere. Quem dum fugio, naufragus ad Cyrenem à rege Alcistrate gratissimè susceptus, in tantum benevolentiam eius sum expertus, ut filiam eius mererer accipere. Deinde mortuo Antiocho, cum properarem ad regnum percipiendum, ipsa mecum comitante, hanc filiam meam, quam coram te magna Dea Diana repræsentari iussisti angeli iussu, postquam in naui peperit, spiritum emisit. Quam ego regio habitu indui, & cum xx. festertijs auri, in loculo clausam in mare misi, ut inuenta dignè sepeliretur. Et hanc filiam meam nutriendam nequissimis hominibus commendavi, & superiores Aegypti partes petij. Quartodecimo autem anno adueniens ut filiam meam expeterem, dixerunt eam esse defunctam. Et dum credidi, uiuo in luctu in lugubribus vestibibus, & mori cupiens, mihi filia mea reddita est. Cum hæc & his similia narraret, Alcistratis \* filia uxor ipsius leuauit se, & rapuit eum in amplexum. Apollonius autem repulit eam à se, at illa cum lacrymis dicebat, Ego sum coniux tua, Alcistratis

\* deest cui.

\* deest filia.

regis filia, & tu es Tyrius Apollonius, tu es meus magister, qui me docuisti, tu es qui me à patre Alciftrate accepisti, tu es quem naufragum adamaui, non caussa libidinis sed sapientiæ, & ait ad eum, ubi est filia mea? Et ipse ostendens ei Tarsiam dixit, hæc est filia quam vides. Tunc resonat in tota Epheso, Tyrium Apollonium regem uxorem\* suam in templo offerentem cognouisse, fit lætitia ingens in tota ciuitate Ephesiorum. Ipse vero ascendit nauim cum uxore & genero & filia, reuertens ad patriam suam. Veniens igitur Tyrius Apollonius Antiochiam regnum sibi reseruatum recepit, & pergens Tyrum constituit in loco suo Athenagoram generum suum. Deinde cum ipso genero & filia sua, & cum exercitu regio veniens Tarsum, iussit comprehendi Dionysiadem & Strangulionem & duci ante se, & coram omnibus ciuibus ait, Beatissimi ciues Tarsenses, nunquid Apollonius Tyrius alicui vestrum extitit ingratus? Et omnes dixerunt, Te regem & patrem patriæ omnes diximus, pro te mori libenter optamus, hoc statua à nobis facta testatur. Et ait Apollonius, Commendaui\* filiam meam Strangulioni & Dionysiadi uxori eius, & eam mihi reddere noluerunt. Infelix mulier ait, Bone domine nunquid non tu ipse titulum monumenti eius legisti? Apollonius iussit venire Tarsiam in præsentiam ciuium, & reuelata facie Tarsia maledixit mulieri, Dionysiadem aue, saluto te Tarsia ab inferis reuocata. Infelix mulier toto corpore contremuit, ciues mirantur & gaudent, Et iussit Tarsia venire

\* suam Alcifratem.

\* hanc filiam.

venire villicum, cui ait, Theophile ut possit tibi ignosci, clarâ voce responde quis me tibi interficiendam obligavit? Villicus ait, Dionysiades domina mea. Tunc ciues rapuerunt Strangulionem & Dionysiadem, extra ciuitatem trahentes lapidauerunt, volentes & Theophilum occidere, sed interuentu Tarsia non tangitur, quæ ait, nisi ad testandum mihi spatium dedisset, modo mea pietas illum non defenderet, quem manu missum abire præcepit. Infelicem filiam occisorem etiam Tarsia depulit. Apollonius dedit munera ad restaurandam ciuitatem, & moratus est ibi mensibus sex. Nauigans inde Pentapolim ciuitatem curiam ingreditur ad Alcistratem regem gaudens. In ultimo senectutis rex vidit filiam suam, & neptem cum marito suo, integer annis. Post hæc moritur perfectâ ætate, in manibus eorum dimittens hæreditatem regni sui Apollonio, in medietatem filia suæ.

Omnibus his peractis, dum ambularet Apollonius iuxta mare, vidit piscatorem à quo naufragus fuerat susceptus, iussitq; eum apprehendere & ad palatium duci. Videns piscator à militibus se comprehendi, putauit occidi. Ingressus Apollonius iussit eum adduci ad se, & ait, Hic est paranymphus meus, qui mihi naufrago opem dedit, & ad ciuitatē venire ostēdit, & dixit ei, Ego sum Apollonius Tyrius, cui dimidium tribuisti tribunarium, & donauit ei cc. sestertia argenti, & seruos & ancillas, & fecit eum Comitem suū usque dum vixit. Hellanicus vero qui de Antiocho nunciauit,

obtulit se Apollonio, & procidens ad pedes eius ait, Domine memor esto Hellanici serui tui, Apollonius apprehensa manu Hellanici, erexit eum fecitq; diuitem, & ornauit Comitem. His expletis genuit Apollonius de coniuge sua filium, quem in loco aui sui Alcistratis constituit regem. Vixit verò Apollonius cum coniuge sua annos LXXIII. & tenuit regnum Antiochie & Tyri & Cyrenensium. Quietè vixit & feliciter. Casus suos ipse descripsit, duo volumina perfecit, unum in templo Ephesiorum, alterum in suâ bibliothecâ collocauit.

Explicit feliciter.



























